

§. XVIII.

In præcedenti paragraph. de confessione Testato-
ris s. defuncti, in præjudicium sui ipsius factâ dixi; seqvi-
tur ergo qvid de confessione in præjudicium here-
dum facta censendum sit. Qvod ut melius explice-
tur, discrimen erit instituendum; An scil. cum causa, an
verò sine ea aliquid confessus fuerit: Si cum causa expre-
serit confessionem, e.g. Mævio centum debeo ex emtione
eqvi &c. omnino tenebuntur heredes. Sin verò causa nulla
fuerit adjecta, iterum distingvo ita: Aut confessionem
suam testator juramento corroboravit, aut non corrobor-
avit? Posteriori casu si heredes causam abesse probare
poterunt, ab actione instituta removebitur Actor, qvod
clare patet ex l. 93. §. 1. ff. de legat. 3. ubi testator ita cavet:
Semproniam Mulier meæ reddi jubeo ab heredibus meis
centum aureos, qvos mutuò acceperam. Qvaritur nunc,
postquam Mulier Sempronia petens victa fuerit istos 100.
aureos nunquam mutuo Marito dedisse, utrumne ex alio
capite petere possit 100. istos aureos? Et respondet Scævo-
la qvod sic; videlicet tanquam ex fideicommissio, qvan-
quam removeatur ab actione mutui. vid. qvoqve l. 28. §. f.
ff. de liberat. legat. Sin verò Testator juramento approba-
verit & ideò robur firmissimum addiderit confessioni
suæ, aut tantum se jurasse affirmaverit, tunc standum est
scripturæ per text. expressi. in l. 39. §. 5. ff. de legat. 3. Servanda
igitur est ejusmodi confessio ob jurisjurandi imprimis re-
ligionem, vid. l. 77. §. 23. ff. de legat. 2. Et heres, nisi se grava-
tum esse ultra legitimam dicat, haud ita facile sese oppo-
nere potest. Legitimæ tamen, qvemadmodum non ex-
pressè, ita nec tacitè gravamen illum à Testatore apponi
debet. vid. Perez. in C. b. n. 22.

B 3

§. XIX.